



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanae Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Thomae Darbishier. somnium vtile Doctoris Babingtoni. n. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

diplomate est præfectus, & non ita multo post in demortui suffraganei Londinensis locum, Sacerdotum alteri Collegio (quod mensam *Iesu* vocabant) ut præesset omnium votis eligitur: quod quanto in beneficio poneret testatur eiusmet responsa in hæc verba: "Qui me prius promouerat ad Fraternalitatem *Nominis Iesu*, qui secundo ad mensam *Nominis Iesu* inuitarat, tertio quoque in Societate *Nominis Iesu* collocavit, fecit mihi magna qui potens est, & Sanctum nomen eius.) Quamquam non magis nomine quam instituto Societatis delectatus ad eam adiecisse animum videri debet. Nam cum inter deliberandum hæreret anceps, & Salutis suæ in tuto collocandæ avidus, solitariam Carthusianorum viuendi rationem versaret cogitatione, adstans repente clausis foribus vir ignotus, "Et tu, inquit, si Carthusianus futurus es, saluti tuæ confules, at ubi futurus est proximus,) ea voce discussa est dubitatio; Societate *Iesu* in qua utriusque dare operam posset, quasi digito monstrari agnoscens, *Lainio* Præposito eo tempore Tridenti ob negotia Concilij commoranti se obtulit.

X. Iussus Romam proficisci, & anno ætatis quadragesimo quinto in Societatem adscriptus primo Maij Anni millesimi quingentesimi sexagesimi tertij, ante vota biennij migravit Dilingam: Rogatus de more paratissime esset docendi subire munus quacumque in schola, & quamdiu obedientia constitueret, respondit scripto; "Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: neque dubito verum dixisse Christi vicarium in initijs huius Societatis, quando ista protulit, *digitus Dei est hic*. Dilingam postquam aliquot annis gratum virtutis sparsisset odorem vocatus in Gallias, Tyronibus erudiendis datus est Magister Billomi, quo in munere cum omnium virtutum specimen præbuit, tum discernendorum spirituum gratiam in primis claruit, vir comis, & ad omne seu conciliandæ, seu conseruandæ, exercendæque beneuolentiæ & charitatis officium comparatus. Parisijs per aliquot annos ad Sodales Parthenios latinè perorauit. Tum Mussiponti pluribus Doctrinam Christianam frequenti auditorio publicè tradidit, tantis eam & scientiæ & gratiæ ornamentis inspergens, ut & iucundissimè à iuuentute, & magno cum fructu audiretur, & non ignobiles Theologi ampliori theatro quæ dicebantur digna esse censentes, nè semel pronuntiata perirent, sedula manu excepta referrent in commentaria. Versanti Parisijs accidit dignum memoria, quod & ipsius industriam, & Dei commendat in ducendis hominum animis admirandas artes. Communi ciectus è Schismatis naufragio saluus Lutetiam appulerat doctor quidam Theologus, quo vetere amico Pater Thomas vsus fuerat: Hunc pro antiqua necessitudine cum semel iterumque salutasset, statuit super exoneranda conscientia aggredi, & de totius ante actæ vitæ rationibus subducendis suadere. Igitur captâ occasione ingreditur sermonem. Alter ut sensit quò oratio tenderet; "Nil pluribus, inquit, opus est; Ea ipsa est quæ me cura sollicitat: Hac enim quæ proximè elapsa est nocte somnium incidit, quod & te mirari necesse est, & mei officij vehementer me commonet; videbar cum familiaribus mensæ opiparæ assidere; inter

Ex responsis ad interrogata.

Vocatur ad Societatem.

Ao. 1536.

Mittitur dilingam.

Deinde Billomum Catalogus Billom. 1568.

Tum Parisios & Mussipontum.

Somnium vtile dis. Babington

conuiuandum, vt fit, ingrediuntur Musici: Rogant an quidquam delectet audire? sanè, inquit omnes: tum vnus ad me conuersus, vis voce tibi præcinam aliquid? Per me, inquam licet; præcine. At ille inde à prima ætate mea telam retexens, cuncta quæ ad hanc vsque horam peccaui ab oculis posuit, tantumque incussit horrorem vt nihil sit in optatis magis, quam vt onere isto me quam citissimè liberem.

Ageigitur, subiungit Pater, duorum vel trium dierum interuallum cape, quò lustrata ætate vniuersa accuratius rem tam optatam peragas. Neque id necesse est, inquit; tam enim clarè, tanquam ex ordine digesta teneo omnia, vt qualiscunque mora superuacua sit) Itaque confestim exquisitâ methodo repetens vniuersa, & quàm miris modis Deus electos suos iuuet docuit, & se ad viciniorem quàm sperauerat exitum quietioremque hoc adminiculo comparauit: non enim longo post tempore morbo oppressus piè obdormiuit. Pater *Thomas* anno septuagesimo secundo quatuor Professorum votis adstrictus, Romam primùm, tum Mussipontum redijt, atque in senectute bona animam Deo reddidit, annos cum expleisset ætatis octoginta sex, in Societate verò vnum supra quadraginta. Qui antequam Angliam desereret, in difficilis carceris tædio, legitur aspectu imaginis Christi Sanguine manantis, quæ insperato ad parietem fixa emicuit, ad quælibet toleranda animatus; & in decliui ætate, cum pertinaci morbo tibiam occupante, medicorum de ea secanda iudicium expectabat, Sanctorum Apostolorum beneficio, (quorum subsidium in festo illis die implorat) periculum depulisse. Et quo tempore in Comitibus Societatis Generalibus, mortuo *Mercuriano*, ad Successorem deligendum couenerant Romæ Patres, Parisijs cum esset, rogasse Iacobum Tyrium magnæ auctoritatis & nominis in Societate virum, num Patrem quempiam *Claudium* nomine, Romæ nosset, ad quem Tyrius, noniequidem; sed quid rogas? Tum ingenito candore narrasse id quod acciderat: "fureram (inquit) de nocte Deum oraturus pro felice Patris nostri Generalis electione; cum mihi apparere dignata est clementissima Mater, & spiritu me duxit in Patrum conclauem; Tum ceteros inter, Iuuenem quendam Patrem, *Claudium* nomine, manu produxit in medium, & congregationi indicare videbatur vt hunc eligerent.) Non vanam fuisse præmonstrationem probauit euentus, & Societati salutarem, & vitæ Thomæ cum insigni pietate transactæ non leue argumentum.

Vid. An-
nales Mus.
sipontanos
Anni 1604

Burghesi-
us in Socie-
te Virgi. Sa-
cra ex erro-
re comuta-
to nomine
in Albige-
rum.

Adamus
Brooche.

Admissus.
Ao. 1564.

XI. *Adamus Brocus* honesto loco Londini natus, & humaniorum literarum disciplinis excultus, altioris scientiæ studijs in Academia Oxoniensi quinq; annis dederat, cum hæreseos flammam cuncta latè domi depalcentè enauigato mari fugiens, morum facilitate & ingenij præstantia tantum valuit, vt annos ætatis duos supra viginti numerans Societatem obtinuerit Romæ, exeunte anno eius seculi sexagesimo quarto. Post Probationes, Philosophiæ excolendæ rursus adhibitus, in Lithuaniam concessit, in ea deinde Prouincia primis Societatis muneribus cum laude perfunctus; Nam Collegio Vilenensi olim præfuit